

EXPOSITIO PASSIONIS.

aut dicere quidquam cogere, quod honori Christi posset aduersari: relicta syndone nudus aufugit ab eis. Fecit huic adolescenti simile aliud olim adolescens prior, sanctus & innocens patriarcha Ioseph, in signe documentum posteris, non fecius ab incestu stupri periculo, quam ab intetata cede fugiendum. Illum enim, quod esset facie pulchra & decoro aspectu, Putipharis vxor, cuius domui seruus prefectus est, oculis in eum conciectis adamauit, eoque furoris tandem insana libidine percita prouehitur: ut non vultu tantum verbisque impudens vltro se iuueni offerret, abhorrentemque; illiceret, sed & detrectanti manibus iniectis, prehensa veste, viro mulier (pro pudor) inferret vim: at ille, quum mori mallet, quam nefarium scelus admittere sciretque; simul, quam periculosum sit, contra presentem veneris copiam cominus inire consuetum, nec illam tutius quenquam posse, quam fugiendo vincere: in adulteram manu relicto pallio, celeri fuga sese proripuit foras. Ceterum nobis (quod institui dicere) non pallium, non toga, non tunica, non aliud eiusmodi vestimentum corporis: sed animam quoque; vestis corpus ipsum, potius quam flagitium admittamus, abijciendum est. Nam si id studemus peccato seruare, perdimus, & animam simul amittimus: sin ob amore Dei patienter sustinemus amittere, quemadmodum anguis pellem veterem, quem opinor Senectam vocant, spinis & tribulis affricatam exiit, & relinquens in sepiibus nitidus & iuuenescens egreditur: ita nos Christi consilium sequentes, prudentes scilicet sicut Serpentes effecti, corpus hoc vetustum, velut anguinam senectam inter spinas tribulationis effricatum ob amorem Dei relinquentes in terris, nitidi nimirum & iuuenes nunquam post illa sensuri senium, prope subuehemur in celum.

DE CHRISTI CAPTIONE.

Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum.

Cohors autem & Tribunus & ministri Iudeorum comprehenderunt Iesum, & tenentes ligauerunt et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphas. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudeis, qui expedit unum hominem mori pro populo. Et conuenerunt in unum omnes sacerdotes, Scribae, Pharisei & Seniores.

Quo tempore primum in Christum manus iniectae sint, sententiae Doctorum variant: dum ex Euangelistarum de re concordium, sed in recensendi modo variantium (quippe quod vnus anticipat, alius intermissum repetit) ex interpretibus nihil historiae veritati derogantes, nihil praedudicantes inuicem alia aliam coniecturam sequitur. Mattheus siquidem ac Marcus eo rem recensent ordine ut liceat coniecere protinus post osculum Iudae, manus iniectas in Iesum, eamque coniecturam quam alij Doctores Ecclesiae non incelebres, tum vir egregius Ioannes Gerson in eo opere, cui titulum fecit *Μονὸς ἰσθραήλ* (quod opus eius dum Passionis ordinem percipere, ipse quoque in praesenti potissimum delegi mihi) comprobat, & historiam contextendo sequitur. Quo vno in loco tamen ipse deflectens ab illo secutus eos sum (qui quidem & ipsi celebres Auctores sunt) qui ductis ex Lucae & Ioannis narratione coniecturis valde similibus veri censesent post, osculo dato, regressum ad cohortem, & Iudaeos Iudae, post prostratam Christi sola voce cohortem, post amputatam sanataque: rursus serui summi sacerdotis auriculam, post cohibitos, ne pugnant, reliquos, post increpitum, qui pugnat Petrum, post compellatos iterum qui tum aderant magistratus Iudeorum denunciataque, quod ante non poterant, capiendi tum concessam facultatem, post apostolos omnes elapsos fuga, post adolescentem, qui, quantum captus, teneri tamen non potuit, alacri nuditate seruatum, tum demum primum manus iniectas in Iesum.

THOMAS MORVS IN HOC OPERE VLTERIVS PROGRESSVS NON EST, HACTENVS ENIM CVM

ESSET PERVENTVM, OMNI NEGATO SCRIBENDI

instrumento, multo arctius quam antea in carcere detentus: non ita multo post

prope turrim Londinensem loco consueto securi percussus est, secundo

Nonas Iulij, Anno Domini supra millesimum quingente-

simo tricesimo quinto, Regis vero Henrici

octaui vicesimo septimo.

QVOD PRO FIDE MORS

FUGIENDA NON EST, AVTHORE

THOMA MORO, DVM IN ARCE

Londinensi detineretur, Anno Domini

M. D. XXXIII.



VITA per offensam Dei seruata, erit ei qui sic se seruauerit odibilis. Nam qui sic vitam tuam seruaueris, tute postridie vitam tuam odio habebis, & dolebis vehementer mortem te non pertulisse pridie. Nam restare

tibi mortem recordaberis, quae qualis futura sit nescis, neque quam cito ventura. Et merito habes metuere, ne mortem sic dilatam sequatur inferorum tormenta, ubi desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis, quum eam mortem quam fugisti, secutura fuerint aeterna caelorum gaudia.

gaudia. Quam stultū est vitando mortē temporaneā, incurrere in eternā, nec tēporaneam vitare tamen, sed paulisper differre. Nam si in præsentiariū mortē vitaris, an perpetuō iā viturus es? aut alio tēpore sine pœna moriturus? Imo continget tibi fortasse, quod diuiti longā sibi vitam promittenti, Christus impendisse commemorat: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te. Cæterū hoc certē certum habes, quod & mori aliquādo debes, & (quæ est humanæ vitæ breuitas) viuere diu nō potes. Deniq; ne hoc opinor dubitas, quod cum fatalis morbus aduenerit, & appetētis mortis molestia cœperit in grauescere, optabis te fuisse pridē pro animæ tuæ conseruatione, quantumuis cruciabili morte peremptum. Non est illud ergo tam desperatē metuendum tibi ne fiat, quod fuisse factum scis te paulō post exoptaturum. Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori cōmendant animas suas. Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationē nobis fit, quasi noui aliquid nobis cōingat: sed cōmunicātes Christi passionibus gaudeate, vt & in reuelationē gloriæ eius gaudeatis exultātes. Pudeat bonos in bonis timidiore esse, quā nati sunt in malis. Audire siquidē latrones licet dicentes, ignaum esse eum, qui refugiat septennij voluptatē, ne post patiatur dimidiatæ horæ suspēdium. Et Christianū hominem nō pudeat, potius eternā vitā & fœlicitatē perdere, quā pati velit breuem mortem paulo citius, quā tamen scit se necessario passurū? paulo serius, & nisi pœniteat, à morte tēporaliū rauritū protinus in eternā, eamq; plenā tormentis omni morte molestioribus. Si quis vel vnū cōspicere possit ex dæmonib; illis, qui magno numero nos expectant, vt in eternū crucient, omnes mortalium hominum minas, vnus terrore floccifaceret. Et quanto magis floccifaceret, si videre posset cœlos apertos, & Iesum stātem, sicut vidit beatus Stephanus? Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærēs quem deuoret. Bernardus: Gratias ago magno illi leoni de tribu Iuda: rugire iste potest, mordere nō potest. Quantumcunq; minetur, nō simus bestia, vt nos prosteruat vacans ille rugitus. Vere bestia est, veræ rationis expers, qui tā pusillanimis est, vt solo timore cedat, q̄ sola futuri laboris exaggeratione victus ante cōflictū, nō telo, sed tuba prosteruitur. Nōdū restitistis vsq; ad sanguinē, ait strēnu; ille dux qui leonis huius nouerat vanū esse rugitū. Et alius, resistite inquit diabolo, & fugiet à vobis: resistite fortes in fide. Eos qui spe in Deū relicta, fugiunt ad humanum auxilium, perituros prædicat cum suo auxilio. Sic periit Saul Rex, qui murmurans, impatiens, & desperans de Deo, quia nō statim exauditus est, transtulit se ad consulendum Phitonissā, quum prius omnes Phitonissas edicto publico iussisset puniendas.

PRECATIO

EX PSALMIS COLLECTA,
PER THOMAM MORVM, IN
ARCE LONDINENSE AGENTEM,
Anno Domini: M. D. XXXVIII. Cui
ipse hunc titulum posuit: Imploratio di-
uini auxilij, contra tētationem, cum
insultatione contra dæmo-
nes, ex spe & fiducia
in Deum.

DOMINE quid multiplicati sunt Psal. 3.
qui tribulant me: multi insurgūt
aduersum me.
Multi dicunt anima mea, non est sa-
lus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea,
& exaltans caput meum.

Ego dormiui, & soporatus sum: & exurrexi, quia
dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumantis me, exurge
domine, saluum me fac Deus meus.

Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos Psal. 5.
meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum
vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, iudica illos
Deus.

Decidant à cogitationibus suis: secundum multi-
tudinem impietatum eorū expelle eos, quoniam
irritauerunt te domine.

Et latentur omnes qui sperant in te, in eternū exul-
tabunt, & habitabis in eis.

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex Psal. 7.
omnibus persequentibus me, & libera me.

Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non
est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Exurge domine in ira tua, & exaltate in sinibus
inimicorum meorum.

Persequitur inimicus animam meam vt compre-
hendat, & conculet in terra vitam meam, &
gloriam meam in puluerem deducat.

Arcū suū tetendit, & parauit illum: & in eo para-
uit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem, & pe-
perit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam
quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius, et in verticem
ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor domino secundum iustitiam eius: & psal-
lam nomini domini altissimi.

In pace in idipsum dormiam & requiescam.

Quoniam tu domine singulariter in spe cōstitisti me.

Z ij Misere